



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IV. De Transubstantiatione, seu conversione panis & vini, in Corpus
& sanguinem Christi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

DISPUTATIO IV.

De Transubstantiatione seu conversione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

Ad questionem 75. D. Thoma.

Explicatâ materiâ Eucharistiæ, agit Sanctus Doctor de actione per quam fit tale Sacramentum, quæ transubstantiatio à Theologis rectè appellatur: nam sicut apud Philoſophos transitus seu mutatio ab una forma in aliam, dicitur transformatio; & ab Evangelistis mutatio unius figuræ in aliam, transfiguratio; ita & mutatio unius totalis substantiæ in aliam, rectè transubstantiatio appellatur. Unde Concilium Lateranense & Tridentinum, eo nomine illam appellant. Plures autem circa hanc mirabilem conversionem occurrunt difficultates & controverſiæ, articulis sequentibus discutiendæ.

ARTICULUS I.

• *Virum tota substantia panis & vini convertatur in corpus & sanguinem Christi, idque ex vi significationis illorum verborum (Hoc est corpus meum) efficaciter colligatur.*

Refert Guitmundus libro 1. de veritate Corporis & Sanguinis Christi, columnâ 4. & lib. 3. columnâ 8. ut habetur tomo 6. Bibliothecæ Patrum; quod Berengarius post abjuratam suam illam primam hæresim, quâ existentiam realem & substantialem corporis & sanguinis Christi sub speciebus sacramentalibus negaverat, incidit in alium errorem, dicens integram naturam substantiæ panis & vini remanere post consecrationem in Eucharistiâ, accidentaliter conjunctam corpori Christi, eo modo quo unum suppositum potest localiter conjungi alteri; quam hæresim, licet etiam abjuraverit postea, secuti sunt tamen Joannes Hus, Wiclef, & Lutherus, qui idcirco impanatores, sive panistæ dicti sunt, quod Christum in Eucharistiæ sacramento impanatum fingerent, ut disputatione proximali art. 1. retulimus.

Præter hunc errorem, alia fuit hæresis asserens panem Eucharistiæ hypostatice assumi à Verbo, eo prorsus modo quo natura humana à Verbo assumpta est, ex quo sequitur panem esse corpus Christi; non corpus humanum, neque carneum, sed panaceum. Ita docuisse Rupertum Abbatem Tuitientem lib. 6 in Joannem, & libro 2. de divinis officiis cap. 2. testatur & probat Bellarminus libro 3. de Eucharistiâ cap. 11. Licet Suarez, Granado, & alij, piissimum hunc & discretissimū Abbatem excusare, & ab hoc errore vindicare conentur. Similis error tribui solet cuidam Joanni Parisiensi, qui (ut refert Waldensis tomo 2. de sacramentis cap. 63.) docuit panem assumi à Verbo, non mediante toto Christo, ne cogere-tur admittere Deum esse panem, sed solum me-

A dante Christi corpore: unde firmè asserunt dicitur albus absolute, quia non est cadaver toto ipsius corpore, sed solum in dentebus existimabit Deum non debere dici panem absolute, quia Panis non conjungitur Verbo, sed mediante parie humanitatis ejus.

Licet autem alij Catholici veram transubstantiationem, seu conversionem substantiæ panis in corpus & sanguinem Christi agnoscant, sunt tamen aliqui qui existimant, talem transubstantiationem, seu conversionem, non debere efficaciter ex præcisâ significatione horum verborum, Hoc est corpus meum, Sed duntaxat definitione Ecclesiæ, quæ in varijs Conciliis substantiam panis & vini non manere in hoc sacramento, sed in corpus & sanguinem Christi converti, declaravit. Ita Scotus in 4. dist. quæ 3. Durandus & Paludanus ibidem, & quidam alij, qui ante Concilium Tridentinum scriperunt, quibus favent aliqui Recentiores, qui referunt Vazquez hic disp. 108. cap. 3. pro sententia Scoti dixerunt, revera illa verba, Hoc est corpus meum, duplicem sensum facere possunt, utrumque verum: alterum non destruat substantiâ panis, & significando per ly Hoc, non totum quod ibi est contentum, sed aliquid ex ibi contentis: alium quo ly Hoc designet totum contentum sub speciebus consecratis esse corpus Christi, nec manere ibi substantiam panis; adduntque, Ecclesiam à Spiritu Sancto edoctam, hunc secundum sensum elegisse, quamvis prioribus solutè potuisset eligere.

§. I.

Errores supra dicti refelluntur, & Catholica veritas declaratur.

Dico primò, nihil de substantia panis & vini manere post consecrationem, sed totum in corpus & sanguinem Christi converti.

Conclusio est certa de fide, & in varijs Conciliis definita. Primò quidem in Concilio Romano sub Gregorio VII. in quo Berengarius secundum suum errorem quo transubstantiationem negabat, his verbis retractavit: Ergo Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacre et æternæ & verba nostri Redemptoris, substantialem converti in veram ac propriam, & vivificant carnem & sanguinem Iesu Christi Domini &c. Secundo in Lateranensi sub Innocentio III. ubi dicitur Panem & vinum transubstantiari in corpus & sanguinem Christi. Tertiò in Constantiensi sess. 2. ubi annatur error Wiclef dicentis substantiam panis & vini manere in sacramento altaris. Quartò Florentino in instructione Armenorum, ubi dicitur verbis ponitur hæc mutatio panis in corpus Christi. Demum in Tridentino sess. 13. can. 1. ubi sic habetur: Si quis dixerit in sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Christi, anathema est.

Idem passim docent SS. Patres, asserentes primis panem per consecrationem fieri corpus Christi, ut loquitur Tertullianus libro 4. contra Marcionem cap. 4. & Justinus Martyr sub finem Apologiæ. Secundo panem mutari non esse, sed naturâ, ut ait Cyprianus sermone de Cena Domini. Tertiò transmutari & trans-elementari, ut ait Gregorius Nyssenus in oratione catechetica cap. 37. Quarto non esse amplius panem,

licet gustus panem esse sentiat, ut ait Cyrillus A
Jerosolymitanus Cathedra 4. Quinto mutari
& verti in corpus Christi, ut ait Ambrosius libro
de initiandis cap. 9. Sexto panem in corpus Chri-
sti transire, migrare, transformari, & transfun-
di, ut loquuntur Theophilactus, Eusebius E-
milienus, Anselmus, & Fulbertus Episcopus
Carnotensis; & alia id genus multa, quæ dispu-
tatione proœmiali, art. 8. in fine fusè expendi-
mus. Ex quibus patet transubstantiationem
in Eucharistia non esse inventum D. Thomæ,
neque opinionem Thomistarum, ut Lutherus
affirmat.

Eandem veritatem §. sequenti ostendemus
ratione desumpta ex verbis consecrationis, quæ
non possent verificari, si substantia panis & vini
post consecrationem remaneret, quandoqui-
dem substantia panis non potest esse corpus
Christi; unde potius dicendum fuisset, *hic est
corpus meum, quàm hoc est corpus meum*, ut ibidem
patebit.

6. Dico secundò, certum est etiam secundum fi-
dem, substantiam panis & vini non uniti hypo-
statiè Verbo Divino, nec humanitati Christi.

Constat ex dictis præcedenti conclusione,
ubi ostendimus, juxta Concilia & SS. Patres, fie-
ri conversionem totius substantiæ panis in cor-
pus Christi: Sed quod manet in sua substantia
alteri hypostatiè unitum, non convertitur in
aliud; unde in mysterio Incarnationis credimus
manere humanitatem in sua natura, quia unitur
hypostatiè Verbo Divino: Ergo, &c.

Deinde, hæc unio ponitur ad verificanda ver-
ba consecrationis, quæ debent verificari de ipso
corpore Christi, juxta illud Joan. 6. *Panis quem
ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: Sed propter
solam unionem in eodem supposito, non posset
panis appellari caro, sicut non potest corpus
Christi appellari anima; & sicut si Verbum as-
sumeret duas naturas, angelicam & humanam,
non posset una de aliâ prædicari, licet inter con-
creta esset communicatio idiomatum: Ergo ad
veritatem illorum verborum, necessaria est
transubstantiatio, seu conversio panis in corpus
Christi.

Addo quod absurdissimum est, & in Scriptu-
ris & Patribus inauditum, Verbum Divinum
dicimur panem, sicut dicitur incarnatum; & to-
ties ipsum creatam naturam assumere, quoties
fit consecratio, totiesque dimittere, quoties cor-
rumpuntur species, nam, ut communiter dicunt
Patres & Theologi, post Damascenum, quod
Verbum assumpsit, nunquam dimisit.

7. Contra istas conclusiones objiciunt in pri-
mis hæretici quasdam locutiones Scripturæ &
Patrum, quibus Eucharistia vocatur panis. Sed
ad hoc fusè respondimus disputatione proœ-
miali art. 10. ubi varias hujusmodi loquendi ra-
tiones adduximus, quæ breviter attinguntur à
Lancfranco Cantuariensi Archiepiscopo, libro
de Eucharistia sacramento, ubi sic ait: *Corpus
Christi vocatur panis, vel quia ex pane conficitur; seu
quia intuitum oculis, cum caro sit, panis videtur; sive
quod corporis alii & visibili panis, similitudine quadam
conjugitur: nam sicut iste panis materialis discretè
sumptus, humanam carnem nutrit, & sustentat; sic
spirituale & invisibile corpus Christi, animam dignè
sumentis & alit & vegetat.*

8. Obijciunt secundò Lutherani quædam SS.
Patrum testimonia, quibus videtur asserere, post
consecrationem substantiam panis in Eucharis-

Tom. V.

tiaremanere: Gelasius enim in libro de duabus
naturis, conferens mysterium Eucharistiæ cum
mysterio Incarnationis, sic loquitur: *Sacramen-
tum corporis & sanguinis Christi divinum est, & tamen
non desinit esse substantia panis & vini.* Similiter
Chrysostomus Epistola ad Cæsarium Mona-
chum docet, post consecrationem liberari panem ab
appellatione panis, & dignum fieri appellatione domi-
nici corporis, etiamsi natura panis in ipso permaneat.
Damascenus etiam libro 4. de fide cap. 14. dicit,
Christum cum pane & vino conjunxisse suam
divinitatem. Demum Theodoretus Dialogo 2.
sic ait: *Signa mystica post sanctificationem à natura
propria non recedunt, manent siquidem in priori sub-
stantia, figura, forma, &c.*

Sed ad hæc responderetur primò, Gelasium
Summum Pontificem, & Chrysostomum, falsò
citari, liber enim ille de duabus naturis, non fuit
compositus à Gelasio Summo Pontifice, ut rectè
ostendit Melchior Canus libro 6. de locis Theo-
logicis capite ultimo ad 9. sed ab alio Gelasio
Cæsariensi, Scriptore Græco. Idque probatur
primò ex eo quod laudat iste Gelasius in hoc li-
bro Eusebium Cæsariensem, cujus tamen libros
penè omnes Gelasius Romanus Pontifex dam-
navit. Secundò ex eo quod in catalogo librorum
Gelasio Romani, à nemine commemoratur liber
ille. Similiter Epistola citata ad Cæsarium Mo-
nachum, à D. Chrysostomo scripta non fuit,

C quandoquidem non invenitur inter ejus opera,
ut notavit Turrianus lib. 1. de Eucharistia cap. 18.

Respondeo secundò, dato quod liber esset
Gelasio Pape, ipsum ideò dicere substantiam pan-
is non delinere, vel quia remanent accidentia
vices substantiæ ita gerentia, ut sine subiecto ex-
istant, & ea quæ substantia ipsa præstat, efficiant:
vel quia substantia panis non annihilatur, quod
illo termino *desinere* significari videtur, sed in
nobiliorem substantiam, nimirum corporis
Christi, transit. Quæ expositio eò facilius potest
admitti, quod Gelasius ibidem indicat fieri trans-
ubstantiationem panis in corpus Christi, dum
dicit, *panem & vinum in divina transire*. Eadem so-
lutio adhuc potest ad Chrysostomum, præter-
im cum constet illum pluribus in locis veram
de transubstantiatione doctrinam tradidisse. Si-
militer cum Damascenus ait, Christum cum
pane & vino conjunxisse suam divinitatem, hoc
debet intelligi de pane & vino remanentibus
solam quoad species, ut sequentia ejus verba
facis declarant, subiungit enim: *Corpus conjunctum
est secundum veritatem divinitati, quod ex sancta Vir-
gine corpus est; non quod ipsum corpus assumptum, è
celo descendat, sed quod ipse panis & vinum transmu-
tetur in corpus & sanguinem Dei.*

Ad verba Theodreti, quæ obscuriora &
difficiliora videntur, dupliciter responderi po-
test. Primò dicendo cum Cardinali Perronio,
non sic esse legendum hunc Theodreti locum,
ut in objectione refertur, & perique legunt,
nempe: *Signa mystica post sanctificationem manent
in priori substantia, forma, & figura*: Sed hoc mo-
do: in prioris substantiæ & figura & forma; &
juxta hanc lectionem sensus planus est, signifi-
catur enim quod eadem accidentia, quæ in pri-
ori substantia panis & vini erant, post utriusque
conversionem remaneant ut prius immutata,
& à natura sua non recedant, id est à virtute
quam habent naturali afficiendi sensum, vel
nutriendi, &c.

Secundò dici potest cum P. Nicolai in scho-
lus 12.

Gg 3

illis ad art. 1. huius questionis, per substantiam eo loco non intelligi eam quæ dat esse substantiale, & constituit prædicamentum substantiæ, atque accidentibus opponitur; sed nomine substantiæ significari essentiam quæ ipsis accidentibus tribuitur, & Græcis *σῶμα* appellatur; unde verbis illis solum Theodoretus intendit, post sanctificationem manere eandem accidentium seu symbolorum essentiam, & ipsa post consecrationem eandem habere proprietates naturales ac antea, eisdemque præstare effectus; putà nutrire, visum vel tactum afficere, &c. ut ex adiunctis ibi patet, cum subiungitur: *Et videri & tangi possunt sicut prius*. Addit etiam ibidem Theodoretus: *Intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur*. Quibus verbis manifestè innuit, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi transubstantiari. Quomodo enim adorari diceret, nisi sublatà substantiā, sive substantiali formā panis, veram ipsius Christi substantiam ibi crederet realiter præsentem esse, quæ adorari sola debet?

§. II.

Alia difficultas expeditur.

Dico tertio: Transubstantiatio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, ex verbis consecrationis rectè colligitur.

13. Probat primò conclusio ex Tridentino sessione 13, cap. 4. ubi colligit definitionem substantiæ panis ex veritate verborum illorum Christi, *Hoc est corpus meum*, sic enim habet: *Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denud hæc sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius*. Ergo optimum est argumentum ex illis Christi verbis deductū, ad probandum transubstantiationem. Unde Vazquez hic disputatione 180, cap. 40, num. 43. ait quod Concilium Tridentinum relatà definitione, non solam veritatem ipsam, sed fundamentum ejus ita apertè definivit, ut qui asserebat nihil panis & vini in hoc sacramento manere, id tamen ex prædictis verbis non colligi, eodem modo hæreticus esset, ac si articulum ipsum negaret. Hoc enim fundamentum non quomodocumque, sed ut à tota Ecclesia approbatum, à Concilio ipso definitur. Undelicet Scotus, Durandus, & alii Antiqui, qui ante Concilium Tridentinum scripserunt, excusari possint, non tamen Recentiores illi à Vazquerelati, qui non obstante hac Tridentini definitione, censent ex verbis consecrationis non colligi efficaciter transubstantiationem.

14. Probat secundò conclusio ex SS. Patribus, qui similiter ex verbis illis Christi, *Hoc est corpus meum*, colligunt definitionem panis, ejusque in corpus Christi mutationem. Nam S. Fulbertus Carnotensis Episcopus Epistolâ ad Adeodatum, quæ reperitur tomo 1. Bibliothecæ Patrum, sic ait: *Dubitari nefas est ad cuius nutum cuncta ex nihilo subito subsisterunt: si paripotentia in spiritualibus sacramentis, terrena materies, natura & generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam compingitur, cum ipse dicat, Hoc est corpus meum, & paulo post, Hic est sanguis meus*. Simili dicitur utitur S.

A Gaudentius Brixienensis Tractatu. in Eucharistia, ubi hæc scribit. *Quod annuntiatum est, quod accipis, corpus est panis illius calicis, & sanguis est illius sacra vitis: nam cum panem consecramus, vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait: Hic est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Item Guimundus bro 3. de corporis & sanguinis Christi ventura hæc habet: *Hos impanatores suos ipse Dominus agens, ac benedicens, ait: Hoc est corpus meum. In ait, in hoc latet corpus meum: nec dixit, in hoc est sanguis meus; sed dixit, Hic est sanguis meus*. Uinique D. Thomas hic art. 2. ratione 2. contentiones remanere substantiam panis, licet.

B Hæc positiō contrariatur formæ huius sacramenti, quæ dicitur, *Hoc est corpus meum*, quod non significat substantiam panis ibi remanere; namque cum substantia panis est corpus Christi, sed panis est dandum, hic est corpus meum. Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit: Cum enim ad veritatem propositionis, inquiratur identitas inter subiectum & prædicatum, saltem in eodem supposito, pro quo utriusque supponit, ut docent Dialectici, & panes identifiatur cum corpore Christi, nec subsistat in eodem supposito; nisi per verba consecrationis in corpus Christi transmutetur, non erit verum dicere, *Hoc est corpus meum*, sed potius dicendum esset, *hic est corpus meum*: Sicut enim intima unius in alio præsentia, non subsistit ut unum possit de alio prædicari. Nam quod corpus Christi exivit de sepulchro, inquit erat præfens in lapide, quia in illo erat penetrativè, tamen non poterat, signato lapide, verè dici, *Hoc est corpus meum*, sed duntaxat, *hic est corpus meum*.

D Dices cum Scoto, quod quamvis sub speciebus consecratis maneret substantia panis, quæ tamen simul adest substantia corporis Christi, verè ac propriè potuit dici à Christo, *Hoc est corpus meum*, quia non oportet ut pronomen, hoc, demonstretur totum id quod continetur sub accidentibus sensibilibus, sed ex intentione loquentis potest, salvâ proprietate verborum, determinari pronomen illud, ad designandum unam rem contentam sub illis, & non aliam: licet in signato marsupio in quo est aurum, potest dici, *hoc est aurum*, & signato dolio in quo est vinum, *hoc est vinum*.

E Sed contra: Licet pronomen hoc demonstrare possit tam substantiam contentam, quam continentem, si ista sit vel ex natura sua vel ex usu hominum instituta ad illam continentiam, sicut in exemplis allatis; non tamen quando substantia continens non sit idonea ad continentium substantiam, quam tamen de se habet continet: quare si sub pane consideretur argentum, non rectè diceret quis, *hoc est argentum*, demonstrando panem: cum ergo substantia panis non sit neque ex natura sua, neque ex usu communi hominum, apta ad continentium corpus Christi, non potest signari tali substantiâ in sacramento, dici, *Hoc est corpus meum*, subindeque verba illa Christi verificati nequeant, nisi substantia panis in corpus Christi convertatur.

210

§. III.

Corollaria precedentis Doctrinae.

17. **E**X dictis in prima conclusione inferes contra
 Durandum, consecratione perfectâ non re-
 manere in Eucharistia materiam panis & vini,
 informatam animâ rationali Christi, & unitam
 ipsius corpori, & multominus ipsius formam,
 solâ materiâ in corpus Christi conversâ, ut do-
 cuerunt aliqui quorum meminit D. Thomas hic
 art. 6. Tridentinum enim ibidem citatum ex-
 pressè asserit, in Eucharistia fieri conversionem
 totius substantiæ panis & vini in corpus & san-
 guinem Christi, remanentibus duntaxat specie-
 bus panis & vini. Ex quo etiam patet, fallam
 imò & erroneam esse sententiam Godofredi as-
 serentis in Eucharistia remanere substantiam
 panis & vini, cum Concilium asserat remanere
 solâ accidentia. Adde quod, cum substantia sit
 actus metaphysicus naturæ quam terminat, non
 est, saltem connaturaliter, sed solum per mira-
 culum ab illa separabilis: nullum autem est fun-
 damentum concedendi tale miraculum in Eu-
 charistia. Vel enim remaneret substantia panis,
 ut esset verum & proprium subiectum acciden-
 tium ejus: Et hoc dici non potest, quia de fide
 est accidentia illa existere sine subiecto vero &
 proprio. Vel ut redderet illa accidentia per se
 substantia: Et hoc etiam verificari nequit; re-
 pugnat enim naturæ accidentis, utpote cui de-
 betur inesse ex natura rei, quod tamen deberi
 nequit rei per se substantiæ, quandoquidem in-
 esse & per se subsistere opponuntur.

18. Simili discursu refellitur sententia aliquorum
 asserentium in Eucharistia remanere existentiam
 accidentium, quam Bannez reputavit probabi-
 lem. Cum enim existentia panis sit sicut ejus
 substantia actus metaphysicus, naturaliter sal-
 tem inseparabilis à propria natura, si miraculose
 remaneat separata ab eo in sacramento Eucharis-
 tiæ, hoc erit tantum ut per eam accidentia re-
 manentia existant, quod tamen non potest dici;
 quia cum omnis actus proprius, qualis est exis-
 tentia accidentium, respectu eorum, debeat esse
 proportionatus suæ potentie receptivæ, & exis-
 tentia substantialis quæ dat esse per se, non sit
 proportionata naturæ accidentis, quæ petit esse
 in alio, non potest esse illius existentia.

Adde quod, licet daremus Bannezio, proba-
 bile esse accidentia substantiæ inhærentia, for-
 maliter existere per ejus existentiam, non tamen
 probabile esset, ipsa, dum ab illa separata exis-
 tant, eadem existentia existere, quæ extiterunt,
 dum conjungerentur; & consequenter malè et-
 iam inde concludi, existentiam substantiæ panis
 remanere post consecrationem.

19. Quæritur hic aliqui, an de potentia absoluta
 corpus Christi possit fieri præsens speciebus pa-
 nis, per aliam actionem, quam per conversio-
 nem substantiæ panis in ipsum, puta per motum
 localem, aut per actionem conservativam ipsius
 in sacramento Eucharistia.

Respondeo negativè: Supposito enim quod
 Christus remaneat in celo, non potest per mo-
 tum localem fieri præsens in Eucharistia: nam
 moveri localiter, nihil aliud est quam transire de
 uno loco in alium, & consequenter relinquere
 unum, ad acquirendum alium; implicat enim
 unum corpus simul poni in pluribus locis, ut
 ostendunt nostri Thomistæ in Philosophia, &

A nos supra disputatione proæmiali art. 12. in so-
 lutione 4. objectionis declaravimus, exponen-
 do rationem fundamentalem & à priori, cur li-
 cet non repugnet idem corpus fieri simul præ-
 sens sacramentaliter in pluribus hostiis, benè ta-
 men ipsum poni circumscriptivè in pluribus lo-
 cis. Similiter etiam repugnat corpus Christi fieri
 præsens speciebus panis, per actionem conserva-
 tivam ipsius, quicquid in contrarium dicat Sua-
 rez. Ratio fundamentalis est, quia ex vi actionis
 abstrahentis ab omni loco, nulliq; in particulari
 alligatæ, nequit corpus Christi fieri præsens spe-
 ciebus panis: Sed actio conservativa abstrahit ab
 omni loco, nullique in particulari alligata est:
 Ergo implicat per talem actionem corpus Chri-
 sti fieri præsens speciebus panis. Major patet ex
 terminis, si enim ex vi illius actionis corpus
 Christi poneretur determinatè sub speciebus
 panis, illa esset determinata ad hanc præsentiam,
 sicq; non abstraheret ab omni loco. Minor verò
 probatur. Eadè est actio quæ res conservatur in
 hoc & in illo loco: v. g. per eandem actionem con-
 servatur à Deo Petrus hodie existens Romæ, &
 deinde existens Parisiis: Ergo actio conservativa
 abstrahit ab omni loco, nec ad ullum in particu-
 lari est determinata, ita ut ex vi illius res conser-
 vertur in uno loco potius quam in alio.

Confirmatur: Eadem omnino manet creatio
 & conservatio, quantumvis præsentia quotidie
 mutetur: Ergo conservatio est indifferens ad
 quamlibet præsentiam, & per consequens non
 potest dici actio primariò, vel secundariò attingens
 præsentiam corporis Christi sub speciebus
 panis, subindeque necessaria est aliqua actio, ex
 vi cujus fiat ibi præsens.

20. Ex his intelliges, optimum esse discursum,
 quo D. Thomas hic art. 2. probat corpus Christi
 non esse simul cum substantia panis; quia nihil
 potest esse alicubi ubi prius non erat, nisi vel per
 motum localem, vel per conversionem alterius
 in ipsum: Sed corpus Christi non potest fieri
 præsens per motum localem, quia aliàs desine-
 ret esse in celo, cum moveri localiter, nihil aliud
 sit quam transire de uno loco in alium: Ergo so-
 lum per conversionem substantiæ panis in ip-
 sum, & per consequens sublatâ tali conversione,
 manente substantiâ panis, corpus Christi non
 esset præsens in hoc sacramento.

21. Neque valet quod dicunt aliqui, nempe Di-
 vum Thomam loqui de potentia ordinaria, non
 verò de extraordinaria & absoluta. Nam si lo-
 queretur de potentia extraordinaria, nihil proba-
 ret contra hereticos asserentes remanere sub-
 stantiam panis cum corpore Christi: possent
 enim facillè respondere, rationem ipsius proce-
 dere de potentia ordinaria, idèque nihil con-
 cludere in mysterio quod totum dependet ex
 potentia Dei extraordinaria.

22. Adde quod D. Thomas aliis in locis aper-
 tè declarat se loqui de potentia Dei extraor-
 dinaria & absoluta: nam in 4. sent. dist. 11.
 quæst. 1. art. 1. quæst. iunculâ 1. docet quod hæc
 positio quæ ponit substantiam panis remanere
 post consecrationem simul cum corpore Chri-
 sti, est impossibilis: Quia (inquit) impossibile est
 aliquid esse nunc, cum prius non fuerit, nihil ipso muta-
 to, vel aliquo in ipsum; nec posset, ETIAM PER
 MIRACULUM, fieri; sicut quoddam animal ra-
 tione mortale, & non esset homo: aliter enim se ha-
 bere nunc & prius, est idem quod moveri vel trans-
 mutari. Et in responsione ad 3. ait quod ex op-
 posita

posita positione sequitur gravior inconveniens, quam quod contradictoria sint simul vera; quia ponit definitionem, scilicet aliter nunc quam prius, & non potest ponere definitum, scilicet motum, neque in corpore Domini, neque in substantia panis. Censet ergo aperte sanctus Doctor non posse, etiam de potentia extraordinaria & absoluta, corpus Christi fieri praesens speciebus, sub illis remanente substantia panis. Idem docet 4. contra Gentes cap. 63.

ARTICULUS II.

Quenam sit actio conversiva, & quem terminum formalem habeat.

23. **S**upposita doctrinâ fidei, præcedenti articulo traditâ, quod in hoc sacramento datur conversio totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quæ rectè transubstantiatio appellatur, restat explicandum, quid sit ista conversio, seu in qua actione consistat, & quis sit terminus formalis illius? Nam circa hoc varia sunt Authorum placita. Aliqui enim existimant, huiusmodi conversionem solum esse actionem adductivam corporis Christi ad Eucharistiam, & ad solam praesentiam localem formaliter terminatam. Ita Scotus, & ejus Discipuli, Bellarminus libro 3. de Eucharistia cap. 18. & Claudius de Saintes libro de Eucharistia repetitione 7. Eandem sententiam tenet Vazquez; addit tamen, ad veram transubstantiationem panis in corpus Christi, requiri, & sufficere, quod hæc adductio corporis Christi succedat substantiæ panis, desinenti sub ejus accidentibus. Alii censent veritatem transubstantiationis Eucharistiæ ex eo præcisè salvari sufficienter, quod dicatur, corpus & sanguinem Christi uniri formaliter speciebus panis & vini, loco substantiæ ipsorum, subindeque dicunt terminum formalem actionis conversivæ quæ Christus fit praesens in hoc sacramento, esse unionem corporis Christi ad species, vel modum substantiæ accidentibus Eucharisticis, conservando illa sine subiecto. Ita Alanus, Henriquez, & Valentia. Alii verò asserunt, actionem illam esse conservationem corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, virtute verborum continuatam & repetitam, quæ illa produceret de novo in rerum natura, nisi jam inveniret producta. Hanc tenent Gabriel in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. dubio 2. & lect. 40. super Canonem, & Suarez hic disp. 40. sect. 4. pro se plures Autores citans. Alii demum affirmant, transubstantiationem Eucharisticam, veram esse corporis & sanguinis Christi productionem, non quidem simpliciter loquendo, sed sub novo modo essendi, sive sub speciebus Eucharisticis. Ita docent Cajetanus, Nunno, pluresque ex recentioribus Thomistis, in manuscriptis de Eucharistia.

§. I.

Premittenda ad resolutionem questionis.

24. **P**ro resolutione hujus difficultatis, tria breviter hic præmittenda sunt. In primis enim supponenda est definitio conversionis genericè sumptæ. Secundò explicandæ conditiones ad illam requisitæ. Tertiò divisio ejus in suas species declarari debet. Definitio ergo conversionis in genere est transitus unius rei in aliam, ut constat ex

communi conceptione. Conditiones verbò illam requisitæ, tres præcipue enumerantur. Prima est, quod versetur inter duos terminos positivos, seu inter duas res, quarum una terminus à quo, & altera sit terminus ad quem, quia in omni conversione debet aliquid transire in aliud. Secunda est, quod terminus à quo conversionis aliquo modo definat esse, & terminus ad quem aliquo etiam modo incipiat esse de novo; hæc enim est natura conversionis, ut terminus ad quem fiat aliquo modo definitus illâ. Tertia est, ut sit aliqua connexio inter definitionem termini à quo, & incipionem termini ad quem, ita ut mutatio unius aliquo modo loquatur ex mutatione alterius. Unde si Deus modò annihilaret Petrum in hoc loco, & in eodem instanti produceret Paulum in eodem loco, vel alibi, non salvaretur conversio Petri in Paulum, propter defectum prædictæ connexionis.

Addunt aliqui quartam conditionem, præter quod detur aliquid tertium commune utrique termino, sub quo terminus à quo, & terminus ad quem sibi invicem succedant. Verum licet illud in conversione Eucharistica repetatur, non tamen necessarium ad rationem communem veræ conversionis, quia nulla apparet repugnantia, quod Deus mediante verâ conversione transformet totam substantiam panis cum accidentibus in corpus Christi, & tamen eundem locum daretur tertium commune utrique termino.

Potest conversio sic explicata dividitur primo in substantialem & accidentalem. Appellatur conversio substantialis, quando fit transitus aliquod extremum substantiale, ut cum ex aqua fit ignis, vel ex aqua vinum. Accidentalis verò dicitur, quando fit transitus in extremum accidentale, ut cum ex albo fit nigrum, vel ex calido frigidum. Secundo dividitur in totalem & formalem. Conversio totalis est, quando unum extremum ita transit in aliud, quod nihil de illo remanet commune utrique termino, sed totum quod est in uno transit in aliud, tam ex parte materiæ, quam formæ. Conversio autem formalis fit è contra, quando unum extremum ita transit in aliud, quod remanet idem subiectum commune utrique extremo, & solum fit transitus in formis, idè quod vocatur formalis. Hæc invenitur in mutationibus naturalibus, & potest fieri à causis secundis, & agentibus creatis, ut cum ex ligno fit ignis, ex albo nigrum &c. Prima verò transcendit vires totius naturæ, & cujuscunque agentis creati, & à solo Deo super naturaliter operante fieri potest, ut locutione ostendit D. Thomas 4. contra Gentes cap. 4. ubi sic discuitur: Conversio panis in corpus Christi alterius modi est ab omnibus conversionibus naturalibus. Nam in qualibet conversione naturalis manet subiectum in quo succedunt sibi diversa forma, vel accidentales, sicut cum album in nigrum convertitur, vel substantiales, sicut cum aer in ignem, unde conversiones formales nominantur: sed in conversione prædicta, subiectum transit in subiectum, & accidentia manent, unde hæc conversio substantialis nominatur. Nunc autem considerare oportet, quales hæc accidentia maneant, & quomodo subiectum subiectum vertatur, quod quidem natura facere non potest. Omnis enim natura individuat, & non supponit, per quam subiecta individuantur: unde natura facere non potest quod hæc substantia, sicut la, sicut quod hic dicitur fiat ille dignus, sed materia

subiecta est virtuti divina, cum per ipsam producatur in esse; unde divina virtute fieri potest, quod hac individua substantia in illam præexistentem convertatur: sicut enim virtute naturalis agentis cuius operatio se extendit tantum ad immutationem formæ, & existentia subiecti supposita, hoc totum in illud totum convertitur, secundum variationem speciei & formæ, verbi gratia hic aer in hunc ignem generatur: ita virtute divina, qua materia convertitur in illam & per consequens hoc individuum in illud; individuationis enim principium materia est, sicut forma est principium speciei.

S. II.

Rejiciuntur tres prima sententia, & quarta statuitur.

Dico primò: Conversio Eucharistica non est actio adductiva corporis Christi, ad solam præsentiam localem formaliter terminata.

16. Probatum primò: Actio adductiva est motus localis rei quæ adducitur: Sed per transubstantiationem Eucharisticam, corpus & sanguis Christi non moventur localiter; aliàs enim cum impossibilis sit motus localis, nisi unus locus per modum termini à quo deferatur, & alius tanquam terminus ad quem acquiratur, corpus Christi cælos relinqueret, ut in terram sub speciebus Eucharisticis descenderet: Ergo transubstantiatio Eucharistica, non est actio adductiva corporis Christi ad speciem panis & vini.

17. Probatum secundò: Ad conversionem requiritur ut terminus ad quem habeat impossibilitatem cum termino à quo, aliàs enim posset terminus à quo in se remanere, quod repugnat ipsius conversioni in terminum ad quem: Sed terminus ad quem actionis adductivæ corporis Christi, non habet talem impossibilitatem cum termino à quo: Ergo talis actio non est vera conversio. Major patet, Minor etiam manifesta videtur: Nam terminus ad quem actionis adductivæ corporis Christi est præsentia sacramentalis: Sed hæc non est impossibilis cum substantia panis, quæ est terminus à quo Eucharistica conversionis; quia præsentia illa non est quantitativa & divisibilis, sed sacramentalis & indivisibilis, ac similis illi quæ Angelus sit præsens loco: unde sicut Angelus per hoc quod sit præsens alicui spatio, non propterea expellit substantiam corpoream quæ est in illo: ita neque in Eucharistia, ex eo præcisè quod corpus Christi sit præsens speciebus, expellitur necessariò substantia panis sub eis præexistens.

18. Dices cum Bellarmino, ex intentione Dei volentis destruere substantiam panis & vini, corpus Christi esse impossibile cum ea.

19. Sed contra: Repugnantia termini ad quem cum termino à quo, in vera conversione, non ex aliqua extrinseca Dei ordinatione, sed ex natura ipsius conversionis peti debet: aliàs omne quod ex voluntate Dei desinit simul atque aliud incipit esse, diceretur in illud converti, quod est absurdum: Ergo &c.

20. Probatum tertio conclusio: Transubstantiatio sive conversio substantialis, debet habere pro termino formali ad quem aliquid substantiale, cum à tali termino speciem & denominationem accipiat: Sed terminus ad quem actionis adductivæ corporis Christi, non est substantialis, sed accidentalis; nam huiusmodi termini

Tem. V.

nus est præsentia sacramentalis, quæ juxta Adversarios accidentalis est: Ergo in tali actione transubstantiatio consistere nequit.

Respondent primò Adversarij, sufficere ad conversionem substantialem quod terminus à quo sit substantialis, quia ille tenet præcipuum locum, eò quod ille solus dicatur converti.

Sed contra primò: Illa responsio non est consona Concilio Tridentino, quod infert, hanc conversionem appellari propriè transubstantiationem, ex eo quod tota substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi; unde exigit ad conversionem substantialem, utrumque terminum esse substantialem.

B Secundò, Quod est principalis in conversione, tribuit illi speciem & denominationem: Sed terminus ad quem est quid principalis, principalis enim intenditur, terminus verò à quo, nisi secundariò, & ratione termini ad quem: Ergo terminus ad quem debet esse substantialis.

Tertiò, sicut transformatio petit ut non solum terminus à quo sit forma, sed etiam terminus ad quem, & similiter translocatio, quod uterque terminus sit locus; ita transubstantiatio exigit ut uterque terminus sit substantia.

Respondet secundò, terminum formalem transubstantiationis esse præsentiam ad speciem in concreto, quo modo sumpta idem est ac corpus Christi ut præsens: in hoc autem concreto reperitur substantia ipsa corporis Christi, quod sufficit ad rationem conversionis substantialis.

Sed contra: Ut actio dicatur substantialis, non sufficit quod terminetur ad concretum importans substantiam subiectam accidenti, alioquin nulla daretur actio accidentalis: dea baptisio enim, calefactio, & huiusmodi, essent actiones substantiales, quia terminantur ad concretum accidentale, importans substantiam pro materiali; imò motus localis Angeli esset vera transubstantiatio, quia terminatur ad substantiam ipsius, ut stat sub præsentia ad locum.

Potest adhuc hæc responsio magis confutari: Nam cum assertitur substantiam corporis Christi ingredi terminum huius conversionis, vel intelligitur illum ingredi tanquam aliquid productum sub aliqua ratione substantia sibi propria, vel tanquam improductum sub omni sua ratione substantiali, & præcisè solum ut subiectum recipiens novam præsentiam accidentalem: Si primum dicatur, necesse est admittere, terminum primarium non esse ipsam præsentiam, sed ipsummet corpus Christi secundum esse substantiale, præsentiam verò secundarium solum, utpote ex priori subsecutum. Secundum verò affirmari nequit: quod enim substantia supponatur ad aliquam actionem productivam alicujus rei, non sufficit ut actio illa dicatur substantialis, ut patet in exemplis jam adductis.

Respondet tertio Vazquez, ut conversio Eucharistica dicatur transubstantiatio, non requiri quod ad substantiam per se primò terminetur, sed sufficere quod in ea interveniat quidam ordo substantiarum, quarum una succedat alteri, & ideo dicatur in illam converti.

Sed contra primò: Sola successio unius substantia loco alterius, est tantum veluti translocatio, non verò transubstantiatio; etenim si Petrus per mortem sublato, Paulus ejus loco substitueretur, fieret quidem successio, sed non conversio, sive transubstantiatio unius in alium: Ergo sola successio unius substantia loco alterius

H h

rius

rius desinentis, non est vera transubstantiatio.

33. Confirmatur primò: Si Christus his vocibus consecrasset, *Hic non fit panis, sed corpus meum*, eadem contingeret successio corporis Christi in locum aut quasi locum panis, quæ nunc est, & tamen panis non fuisset conversus in corpus Christi: Ergo sola illa successio non sufficit ad salvandam veritatē transubstantiationis Eucharisticæ.

34. Confirmatur secundò: Si transubstantiatio Eucharistica sit tantum successio corporis & sanguinis Christi, loco substantiæ panis & vini desinentis, sequitur corpus Christi converti in substantiam nostram, aut in vermes, quando corrumpuntur species, non minus quam panem converti in corpus Christi; quandoquidem utrobique substantia substantiæ succedit: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

35. Confirmatur tertio: D. Augustinus lib. 17. de civit. cap. 18. hanc ponit differentiam inter veras conversiones & miraculosas, cuiusmodi est illa quæ reperitur in hoc sacramento, & inter apparentes quæ sunt à Dæmone, quod illæ sunt per veram & substantialem rerum conversionem, istæ verò per solam translocationem, quam merito negat esse veram conversionem: Ergo conversio substantialis quæ reperitur in hoc mysterio, non consistit in quodam tantum ordine substantiarum, quarum una succedat alteri.

Dico secundò: in conversione Eucharistica veram rationem transubstantiationis non salvari, ex eo præcisè quod dicitur corpus & sanguinem Christi uniri formaliter speciebus panis & vini, loco substantiæ ipsorum, vel sustentare accidentia Eucharistica, conservando illa sine sub-

36. Probatur breviter: Impossibile est quod corpus Christi intelligatur uniri speciebus, & consequenter substat accidentibus, Eucharisticæ, nisi prius ibi sit; & per consequens nisi prius intelligatur actio conversiva panis in corpus Christi: Ergo actio conversiva est distincta ab actione unitiva, & hæc illam præsupponit; subindeque terminus formalis primarius actionis conversivæ, non est modus unionis corporis Christi ad species Eucharisticas, vel modus substanciandi accidentibus Eucharisticis, seu conservandi illa sine subiecto.

37. Confirmatur: Terminus formalis & primarius conversionis Eucharisticæ debet esse substantialis, cum talis conversio substantialis sit, & actio specificationem & denominationem à termino formali & primario sumat, ut supra dicebamus: Atqui unio corporis Christi cum accidentibus Eucharisticis, non est substantialis, sed accidentalis tantum, cum ex substantia & accidentibus nequeat fieri compositum nisi per accidens. Similiter modus substanciandi accidentibus, licet sit in substantia, tamen est accidentalis, quia substantia illum acquirit, nullâ factâ mutatione in ipsa: Ergo nec talis unio, nec modus ille substanciandi accidentibus, est terminus formalis & primarius conversionis Eucharisticæ.

38. Dico tertio conversionem panis in corpus Christi non esse actionem conservativam illius. Probatur: Quia vel esset antiqua conservatio quæ conservatur in celo, vel alia nova & supernaturalis, quæ specialiter inciperet conservari sub speciebus Eucharisticis: Neque dici potest: Ergo &c. Minor quoad primam partem manifesta videtur, quia conservatio illa antiqua est actio merè naturalis, terminata per se primò

A ad totam humanitatem Christi, non panem Christum, ut formaliter in compositum est substantia panis, modo indivisibilis & inextensibilis, sed modo divisibilis & extenso: Atqui conservatio panis in corpus Christi est supernaturalis, & terminatur formaliter ad corpus Christi, ut terminans cum substantia panis, & sub modo indivisibili & inextenso: Ergo non est conservatio antiqua quæ conservatur in celo. Probatur etiam quoad secundam partem, quia conservatio nihil aliud est quam continuata productio: Ergo si conversio panis in corpus Christi est conservatio illius sub speciebus, & actio prius productiva illius sub eisdem speciebus, addo quod conservatio rei, supponit eam conservatam: Ergo est impossibile rationem quæ ponitur corpus Christi sub speciebus puram conservationem ipsius sub horum speciebus. Vide quæ scriptimus articulo præcedenti §. 3. versùs finem.

Dico ultimò: Actio conversiva quæ corpus Christi ponitur sub speciebus, est verè productiva corporis Christi, non simpliciter & absolute, sed tali modo, scilicet ex alia substantia quæ ipsum convertitur, & in cuius locum dicitur.

Prima pars hujus conclusionis probatur primò ex SS. Patribus, qui dicunt in consecratione corpus Christi fieri de pane: sic enim loquitur expressè Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 4. Augustinus relatus Can. *Vtrum sub figura, de consecrat. dist. 2.* Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. Gaudentius tract. 2. in Exodum: Et Hieronymus Epist. ad Heliodorum, ubi dicit: *Sacerdos loquens, sic ait: Qui Christi corpus sacro ore acciunt.* Hinc S. Ephrem, Sacerdos unum appellat: *Stupendum miraculum, omnium ornamentum, instantissimum, bonorum omnium quæ in hominibus sunt apicem, divinum quoddam, omnium quæ creaturæ minime expectantur velut extremam metam.* Hæc etiam celebratur illa sententia, quæ S. Augustinus & D. Gregorio tribuitur: *O magna Sacramentum dignitas, in quorum manibus, velut in altari, Christus quotidie incarnatur!* Sicut ergo Deus per Virgo, verbo Verbum conceptum merito, in lapide expendit Bernardus hom. 1. 3. super Mat. 23. ubi sic eam alloquitur: *Responde Virgo, et suscipe Verbum; propter tuum, & conceptum, emite transitorium, amplectere singularem. Quia tardas, quid trepidas? Crede, confite, suscipe. Virgo beata, cor fides, labia consensum, viscera Creatori.* Ita etiam Sacerdos quotidie Christi corpus verbis consecrationis in altari producit, & fructus ventris virginitatis, sit patris labiorum ipsius.

D Ratio etiam suffragatur: Nam omnis conversio substantialis, est vera productio substantiæ, quæ loco alterius in eam transmutatur: Ergo & conversio Eucharistica, quæ fit à Sacerdotibus, per verba consecrationis. Consequentia patet, Antecedens probatur: Tum quia productio est aliquod nomen commune ad creationem, generationem, educationem, & conversionem. Tum etiam, quia communicatio seu unio alicujus esse substantialis, est vera productio: Sed conversio substantialis est communicatio seu influxus alicujus esse substantialis, constat de vino, ex aqua converso in Cana Galilee, quod dicitur factum, & esse substantia accipiente conitatur: Ergo &c.

Confirmatur: Per conversionem Eucharisticam corpus & sanguis Christi incipiunt esse sibi speciebus panis & vini, & tamen ad eas non adducuntur, ut probavimus: Ergo sub eis verè producuntur. Probatur Consequentia, ex eo quod implicet Christum incipere esse hic, & non adduci ex alia parte, neque produci. Non enim primò potest esse sub speciebus per conservationem, quandoquidem prius est rem esse, quam sibi conservari, ut supra contra Suarem dicebamus.

Secunda verò pars conclusionis, quæ asserit conversionem Eucharisticam non esse actionem productivam corporis Christi simpliciter & absolute, sed tali modo, scilicet ex alia substantia quæ in ipsum convertitur, & in cuius locum succedit, breviter suadet, tum ex Augustino, Ambrosio, Damasceno, & alijs Patribus supra citatis, asserentibus corpus Christi per verba consecrationis fieri ex pane: Tum etiam, quia corpus Christi simpliciter & absolute supponitur productum, & in rerum natura existeret, antequam verba consecrationis à Sacerdote proferantur, & fiat conversio panis in ipsum: Ergo talis conversio non potest dici corporis Christi productio, simpliciter & sine addito, sed tantum secundum quid & cum addito, nimirum ex substantia panis, & sub speciebus ejus. Unde terminus formalis transubstantiationis, non est corpus Christi absolute sumptum, sed corpus Christi, quatenus sit ex pane, in cuius locum succedit: sicut terminus formalis motus aeris verbi gratia, à terra usque ad mediam regionem, non est media regio præcisè, aliàs non distingueretur à motu ignis, quia moveretur à propria sphaera usque ad mediam regionem aeris, sed est media regio aeris, ut comparata ad terminum à quo, scilicet ad terram, à qua aer ascendit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Per transubstantiationem Eucharisticam corpus Christi acquirit tantum esse accidentale, nempe esse præsens speciebus sacramentalibus: Sed hoc sufficienter salvatur præcisè per ejus additionem ad illas species: Ergo per ipsam rationem transubstantiationis sufficienter salvatur. Minor constat, Major verò probatur. Illud solù acquirit corpus Christi per transubstantiationem, quod verba consecrationis efficiunt: Sed verba consecrationis non efficiunt nisi illam præsentiam accidentalem; solùm enim efficiunt quod significant: non significant autem nisi præsentiam corporis Christi sub speciebus: Ergo &c.

Respondeo primò negando Majorem; si enim per transubstantiationem Eucharisticam corpus Christi esse tantum accidentale acquireret, talis actio non posset dici conversio substantialis, utpote quæ debet terminari ad esse substantiale, ut in tertia probatione primæ conclusionis ostendimus. Ad probationem in contrariū, concessa Majori, nego Minorem, & probationem ei subjunctam; ut enim verba consecrationis significant tantum præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, dicendum esset, *Hic est corpus meum*, non verò, *Hoc est corpus meum*.

Respondeo secundò, data & non concessa Majori, negando suppositum Minoris: etsi enim præsentia accidentalis corporis Christi sub spe-

ciebus, sufficienter salvari possit per ejus additionem; eo tamen ipso quòd talis adductio esse non potest sine motu locali, corpus autem Christi per transubstantiationem non moveatur localiter, aliàs enim deferretur cælum, non est sub speciebus per additionem.

Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Per conversionem Eucharisticam id solùm habet corpus Christi, quo posito ex natura rei panis esse definit. Sed ex eo præcisè quòd corpus Christi sustentet accidentia panis sine subjecto, aut ijs uniatur formaliter loco substantiæ panis, definit panis: Ergo per conversionem Eucharisticam corpus Christi solùm habet quòd sustentet accidentia Eucharistica sine subjecto, aut ijs uniatur formaliter, loco substantiæ panis.

Respondeo negando suppositum Minoris, quòd nempe corpus Christi habeat immediate per transubstantiationem sustentare accidentia Eucharistica, vel illis subistere, aut formaliter uniri, si de facto illis subisset aut uniretur: falsa, inquam, est hæc suppositio, quia corpus Christi non potest hoc habere, nisi saltem præsuppositivè ad illa accidentia adducatur, vel sub eis producat.

Obijcies tertio contra tertiam & quartam conclusionem: Illa actio non est productiva, sed duntaxat conservativa corporis Christi, quæ utpote ipsum productum, & jam existens: Sed actio conservativa panis in corpus Christi, ipsum productum & existens supponit: Ergo non est productiva, sed tantum conservativa illius.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quod producit transit de non esse ad esse: Sed corpus Christi non transit per conversionem Eucharisticam de non esse ad esse, aliàs cum præexistat tali conversioni, simul esset & non esset: Ergo per illam non producit, sed duntaxat conservatur.

Confirmatur ampliùs: Actio quæ efficienter procedit ab aliquo agente, non potest esse productiva illius, aliàs enim idem esset simul prius & posterius seipso, secundum idem: Sed transubstantiatio Eucharistica efficienter est à corpore Christi, ut ab instrumento Divinitati conjuncto: Ergo non potest ipsum producere.

Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Illa actio non est productiva corporis Christi simpliciter & absolute, quæ supponit ipsum productum & jam existens, concedo Majori. Non est productiva illius secundum quid, & cū addito, nego Majorem, & concessa Minori, distinguo Consequens, distinctione Majoris. Ex eo igitur quòd corpus Christi conversioni Eucharistica præexistat, solùm inferri potest, talem conversionem non esse simpliciter & absolute productivam illius, quod libenter concedimus; non tamen colligitur, per transubstantiationem corpus Christi non produci secundum quid, & ex novo aliquo modo, nimirum ex pane, & ex speciebus Eucharisticis. Unde

Ad primam confirmationem, distinguo Majorem: Quod producit, transit de non esse eo modo quo producit, ita ut si producat simpliciter, transeat à non esse simpliciter ad esse simpliciter; vel si producat solùm cum addito, transeat à non esse cum addito, concedo Majorem. Quod producit, transit de non esse alio modo, quam eo quo producit, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Corpus Christi per transubstantiationem non transit à

non esse simpliciter & absolute, ad esse simpliciter & absolute, concedo Minorem. Non transit à non esse cum addito, scilicet à non esse sub speciebus Eucharisticis, & ex pane; ad esse sub illis speciebus, nego Minorem. Eodem modo distinguendum est Consequens: Ergo corpus Christi per transubstantiationem non produci- tur, productione absolute & simpliciter dicta, concedo: productione cum addito, scilicet ex pane, & sub speciebus panis, nego. Licet enim absolute præexistat tali transubstantiationi, non tamen illi præexistit ut ex pane productum, neq; ut sub speciebus panis existens.

Ad secundam, distinguo etiam Majorem: Actio quæ efficienter procedit ab aliquo agente, non potest esse prima productio ipsius, concedo Majorem. Non potest esse iterata ejus productio, & sub novo modo essendi, nego Majorem; id enim est possibile, non quidem naturaliter, sed divinitus. Ad probationem in contrarium dico similiter, quod licet idem ut primò productum, non possit esse prius ad seipsum ut primò productum, bene tamen ad seipsum ut reproductum: productio autem corporis Christi sub speciebus, non est prima ejus productio, sed reproductio, ac proinde potest corpus Christi ut primò productum præsupponere ad idem corpus reproductum.

Instabis: Idem est esse quod corpus Christi accipit per reproductionem, cum eo quod recipit per primam productionem; aliàs enim malè diceretur reproduci, quia reproductio nihil aliud est quam ejusdem iterata productio: Ergo si ve dicatur prius seipso ut productum, si ve reproductum, idem secundum idem erit prius ad seipsum.

Respondeo distinguendo Antecedens: Idem est esse quod corpus Christi accipit per reproductionem, cum eo quod recipit per primam productionem, & idem modis essendi, nego Antecedens. Et diversus modus essendi, concedo Antecedens. Similiter distinguo Consequens: Ergo si ve dicatur prius seipso ut productum, si ve ut reproductum, idem secundum idem erit prius ad seipsum; sub eodem modo essendi, nego. Sub alio modo essendi concedo. In hoc enim non est major repugnantia, quam quod idem numero corpus existens in uno loco uno modo, verbi gratia circumscriptivè, præsupponatur ad seipsum ut existens in alio loco alio modo, scilicet definitivè, si ve sacramentaliter, ut fides docet.

Objicies quarrò: Nullus effectus potest produci per plures actiones totales, ut docent nostri Thomistæ in Philosophia: Sed si actio conversiva, sit productiva corporis Christi, idem effectus produceretur per plures actiones totales, nam corpus Christi in cælo produci- tur seu conservatur per actionem totalem & diversam à transubstantiatione per quam ponitur sub speciebus Eucharisticis.

Respondeo distinguendo Majorem: Nullus effectus potest produci per plures actiones totales, sub eadem ratione formali, concedo Majorem. Sub diversâ ratione formali, nego Majorem: ratio autem formalis sub qua corpus Christi produci- tur in altari, est diversâ rationis ab ea sub qua produci- tur seu conservatur in cælo, quia illa est conversiva, non verò ista.

Instabis: Corpus Christi eodem tempore in pluribus altaribus consecratur. Sed tales consecrationes sunt ejusdem rationis, cum omnes sint conversivæ panis in corpus Christi: Ergo si sint

A productivæ illius, idem effectus sub eadem ratione formali per plures actiones totales produci- cipoterit.

Respondeo non esse inconveniens quod idem effectus produciatur per distinctas actiones instrumentarias, quia ab illis non produci- tur effectus: illæ verò actiones quibus consecratur corpus Christi à diversis Sacerdotibus in pluribus altaribus, non sunt principales, sed tantum instrumentariæ, cum Sacerdos ministrans taliter tantum ad consecrationem, seu productionem corporis Christi in altari, concurreat.

Dices: Implicat plura accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto, ut docent nostri Thomistæ in Metaphysica: Sed si corpus Christi produceretur in hoc altari per unam actionem instrumentariam, & in alio per aliam, plura accidentia solo numero diversa essent eodem subiecto; nam actiones illæ instrumentariæ, quæ non distinguuntur specie, sed tantum, recipiuntur in corpore Christi, quod est idem in hoc vel in illo altari: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Majorem: Implicat plura accidentia solo numero diversa, esse in eodem subiecto formaliter sumpto, concedo Majorem: materialiter sumpto, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Si corpus Christi produceretur & c. plura accidentia solo numero diversa essent in eodem subiecto materialiter sumpto, concedo: formaliter, nego. Ad probationem in contrarium, distinguendum est Antecedens: actiones illæ instrumentariæ recipiuntur in corpore Christi, absolute sumpto, nego. In corpore Christi, ut sit ex tali pane, sub talibus speciebus, concedo. Ex quo patet, quod quamvis subiectum illarum actionum sit idem materialiter, est tamen diversum formaliter: quæ diversitas formalis sufficit ad distinguenda accidentia, ut ostenditur in Metaphysica.

Objicies ultimò: Si corpus Christi produci- tur sub speciebus sacramentalibus, sequitur quod si facta fuisset consecratio in triduo mortis, fuisset alterius speciei ab ea quæ modo fit: Sed hoc non videtur admittendum: Ergo nec illud. Sequitur Majoris probatur: Actio specificatur ex termino ad quem: Sed si corpus Christi produci- tur sub speciebus sacramentalibus, terminus ad quem consecrationis factæ in triduo mortis, scilicet corpus ut mortuum, differret à termino ad quem consecrationis quæ fit modo, scilicet à corpore Christi ut vivo; differunt enim speciei corpus vivum & corpus mortuum: Ergo si corpus Christi produciatur sub speciebus sacramentalibus, sequitur quod si facta fuisset consecratio in triduo mortis, fuisset alteri speciei ab ea quæ modo fit.

Respondeo negando sequelam Majorem, & ejus probationem, nego similiter sequelam Minoris; ad probationem verò quæ subjungitur, dicendū est, terminum formalem ad quem consecrationis Eucharisticæ, neq; esse corpus vivum neq; mortuum, sed abstrahens ab utroque, scilicet corpus de prædicamento substantiæ, includens quidem hanc numero materiam, & hanc numero formam; sed hanc numero formam, secundum quod dat esse vivens, quia ut ratio tantum per concomitantiam in sacramento, & consequenter corpus Christi est vivens per concomitantiam sub speciebus, non verò formaliter, & ex vi transubstantiationis, ut magis declarabitur disputatione sequenti.

§. IV.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

EX dictis intelliges, terminum formalem & primarium transubstantiationis, neque esse solam præsentiam Christi sub speciebus, neque unionem corporis Christi ad species Eucharisticas, nec modum substandi accidentibus Eucharisticis, seu conservandi illa sine subjecto; sed ipsum Christi corpus, quatenus sit ex pane, in cuius locum succedit: nam ut supra dicebamus, terminus formalis & primarius transubstantiationis debet esse substantialis, cum speciem & denominationem illi tribuat. At neque præsentia Christi sub speciebus, neque unio corporis Christi ad illas, nec modus substandi accidentibus Eucharisticis, substantialia sunt, ut ex supra dictis patet, bene tamen corpus Christi: Ergo terminus formalis & primarius transubstantiationis est ipsum corpus Christi, non quidem præcisè & absolute sumptum, sed quatenus sit ex pane in cuius locum succedit. Quod ut magis declaratur.

Observandum est, ad diversitatem specificam actionum, non requiri necessarium diversitatem terminorum seu effectuum in esse entis & materialiter, sed solum formaliter in esse termini, sive effectus: unde ipse effectus qui est a causa creata per generationem, potuit esse à Deo per creationem, sub alia ratione universaliori, nempe in ratione entis: & idem homo à Sole & ab homine generatur; ab homine quidem, ut à causa univoca, rationem specificam vel individualement per se primò attingente; à Sole verò, ut à causa æquivoca & universaliori, cui per se primò ratio corporis corruptibilis correspondet, ut explicari solet in Philosophia. Unde etsi corpus Christi sit in celo existens, quoad animam quâ informatur, productum per creationem, sub ratione entis; & secundum totum compositum, per generationem, sub ratione hominis; quia tamen non est productum sub ratione talis corporis ex pane producibilis, per propriam actionem ad hanc rationem formalem per se primò terminatam, & ab ea specificatam, per ordinem ad divinam potentiam, manet producibile iterum in Eucharistia, per actionem formaliter ipsam respicientem secundum illam rationem, quæ licet sit una tantum in specie formaliter, potest tamen numero multiplicari in infinitum sine regorematicè; quamvis enim per unam consecrationem corpus Christi sit productum, secundum quod est hoc corpus producibile ex hoc numero pane, non tamen quatenus est producibile ex alio & alio pane, sed secundum hoc manet semper producibile per ordinem ad divinam omnipotentiam.

ARTICULUS III.

An substantia panis & vini in Eucharistia desinant esse per annihilationem?

Affirmant Scotistæ, & Nominales, negant Thomistæ, & alii Theologi communiter cum S. Thoma hic art. 3. quare

Dico breviter, substantiam panis & vini in Eucharistia non desinere per annihilationem.

Licet omnes ferè Theologi in hac conclusione conveniant, variè tamen illam explicant, & probant. Durandus enim dicit substantiam pa-

Tom. V.

Anis in Eucharistia non annihilari, quia corrupta forma panis per conversionem, materia ejus manet sub forma corporis Christi, sicut materia alimenti manet sub forma aliti. Sed hæc doctrina Durandi manifestum errorem continet, tum in Philosophia, quæ docet unam & eandem formam non posse duplicem materiam actuare; tum in fide, cum Tridentinum sessione 13. can. 2. asserat, in Eucharistica transubstantiatione converti totam substantiam panis in corpus Christi, & sola ejus accidentia remanere.

Alii verò dicunt, panem non annihilari, quia manent accidentia, quæ sunt aliquid illius. Sed hoc etiam fundamentum ruinolus est, quia accidentia sunt omnino extrinseca substantiæ, ac proinde non mutant motum definitionis vel productionis illius: unde sicut si Deus sub speciebus consecratis, & præexistentibus accidentibus, integram substantiam panis produceret, esset creatio, quia esset productio substantiæ ex nihilo: ita pariter definitio totius substantiæ panis, quamvis omnia ejus accidentia remaneant, poterit dici ejus annihilatio, nisi aliud obstat. Adde quod, sicut creatio terminatur ad esse substantiale & subsistens, sic etiam annihilatio ad non esse rei subsistentis: Ergo si illa in nihilum cedat, quantumvis accidentia supersint, vera interveniet annihilatio.

Terriò, alii asserunt, panem non annihilari, quia corpus Christi posset iterum converti in panem qui primò desierat. Sed hoc frivolum est, quia quantumcumque panis annihilatur, semper tamen potest Deus, & corpus Christi, & quodlibet aliud ens, in substantiam panis convertere.

Quartò, sunt aliqui qui existimant, non annihilari substantiam panis, quia loco illius succedit substantia corporis Christi. Sed contra hoc est, quia si Deus in nihilum redigeret corpus aliquod intra aquam existens, v.g. piscem, etiam si loco illius succederet aqua, ad replendum vacuum, verè talis piscis annihilaretur: Ergo licet in Eucharistia, loco substantiæ panis, succedat substantia corporis Christi, non propterea illa non annihilatur.

Simili discursu refellitur alius dicendi modus, asserens quoddam quamvis substantia panis desinat, non annihilatur tamen; quia illa definitio non est per se & propter seipsam intentæ, sed propter aliud, scilicet ad ponendum corpus Christi loco ipsius. Nam si Deus statueret in instanti quo homo moritur, per negationem concursus animæ rationalem destruere, ut in illa materia poneretur alia forma, sine dubio ibi esset vera annihilatio animæ rationalis: Ergo extrinseca illa intentio non destruendi substantiam panis, nisi ad ponendum corpus Christi, non impedit quominus substantia panis dicatur annihilari. His ergo prætermis.

Probatur conclusio triplici ratione D. Thomæ hic art. 3. Prima insinuat in argumento sed contra, ubi sic discursit. Juxta Augustinum lib. 83. quaestionum, qua. 21. Deus non est causa tendendi in non esse: Sed hoc sacramentum divinæ virtute perficitur, ita ut sit speciale opus divinæ virtutis & omnipotentia: Ergo in illo nulla entitas seu substantia annihilatur. Hæc ratio similis est illi quæ idem S. Doctor 1. parte quaest. 104 art. 4. probat quod Deus de facto nullam rem in nihilum redigit. Verba ejus sunt: Redigere aliquid in nihilum, non pertinet ad gratia manifestationem, cum magis per hoc divina potentia &

Hh

boni

bonitas ostendatur, quod res in esse conservet: unde simpliciter dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigitur: cum ergo Deus sacramentum Eucharistiae instituerit, ut suam gratiam & bonitatem manifestet, non debet in eo substantia panis annihilari; imò ejus annihilatio, fini institutionis hujus sacramenti non videtur conveniens.

70. Secunda ratio habetur in corpore articuli, potestque sic breviter proponi. In hoc sacramento reperitur vera & totalis conversio substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Christi: Sed hujusmodi conversio salvari non posset, si substantia panis & vini annihilaretur: Ergo illa non desinit per annihilationem. Major est certa de fide, Minor verò probatur; Tum quia id quod annihilatur, non transit in aliud, cum terminus annihilationis debeat esse ipsum nihil, non verò entitas aliqua positiva. Tum etiam, quia si substantia panis annihilaretur, deberet corpus Christi per aliam actionem distinctam produci: Sed posita hac duplici actione, non salvatur ratio conversionis, quia ad rationem conversionis requiruntur duo termini positivi, cum per hoc conversio ab annihilatione & creatione distinguatur, ut constat ex dictis §. 1. articuli praecedentis: posita autem hac duplici actione, neutra haberet utrumque terminum positivum; annihilatio enim haberet tantum terminum à quo positivum, productio verò corporis Christi sub speciebus, tantum terminum ad quem: Ergo &c.

71. Dices, ex duplici illa actione unam veluti totalem coalescere, quae dicitur conversio, cujus terminus à quo est panis, & corpus Christi terminus ad quem.

Sed contra: Ex annihilatione panis & ex actione productiva corporis Christi, non potest confurere una totalis conversio: Ergo haec solutio falsum supponit. Consequentia patet, probatur Antecedens. Actiones aut mutationes unam conversionem constituentes, debeat talis esse naturae, ut una ex natura rei sequatur ad aliam: Atqui ad annihilationem panis non sequitur necessitè positio corporis Christi, cum absolute possit esse annihilatio absque ulla alterius rei productione: Ergo ex annihilatione panis, & ex actione productiva corporis Christi, non potest resultare una totalis conversio. Major probatur: Ad rationem conversionis necessarium est, ut ex vi destructionis termini à quo, quae est mutatio illius, ponatur terminus ad quem, per aliam mutationem ad ipsum terminatam: Ergo necessarium est, ut mutatio unius sequatur ex mutatione alterius. Unde rectè ait S. Doctor, quod conversio tollitur, posita à annihilatione substantiae panis. Ex quo infert Soto in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 4. quod annihilationis opinio, vix citra errorem sustineri potest. Vazquez autem hic disp. 183. cap. 1. ait illam favere hæreticis, & eis arma ministrare; ad destruendam mirabilem conversionem substantiae panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, quam fides Catholica profitemur: qui proinde teste Wadensi tomo 2. cap. 68. hoc argumento adversus Catholicos utuntur, quod impossibilis sit conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, eo quod substantia panis & vini desineret esse totaliter, ac proinde annihilaretur: quod autem annihilatur, non potest in aliud converti.

72. Tertia ratio infinuat à D. Thoma in solut. ad 3. quod eo tendebat, ut probaret desitionem panis esse annihilationem, quia substantia panis

A post consecrationem nihil est. Et respondetur quod licet substantia panis post consecrationem non sit aliquid, id tamen in quod substantia panis est conversa, aliquid est; & propter substantiam panis non est annihilata. Unde licet desinit in aliquid positivum, non est annihilatio; cum enim annihilatio opponatur creationi; per hoc quod creatio incipit à nihilo, & terminatur ad aliquid positivum, annihilatio vero incipit ab aliquo positivo, & desinit in nihilum, sicut productio quae incipit ab aliquo positivo praesupposito, non potest esse creatio: ita desinit quae terminatur ad aliquid positivum, neque potest esse annihilatio: Sed etiam si consecratione peracta, nihil amplius de substantia panis & vini remaneat, eorum tamen desinitio est in aliquid positivum, scilicet in corpus & sanguinem Christi: Ergo talis substantia non desinit per annihilationem.

Confirmatur: Quod transit ab uno esse in aliud, non annihilatur, annihilatio enim est transitus ab esse simpliciter ad non esse simpliciter: sicut creatio est transitus à non esse simpliciter ad esse simpliciter: Sed substantia panis ita desinit per consecrationem, ut transit ab esse panis ad esse corporis Christi sub speciebus: Ergo talis desinitio, non est annihilatio.

Ex his facile solvi possunt praecipua Adversariorum fundamenta, quae ad tria reducuntur: Primum sic potest proponi. Illud quod ita desinit, ut nihil profus ejus remaneat, annihilatur: Sed substantia panis & vini ita se habet, post consecrationem, non enim remanet ejus materia, neque substantia, neque existentia, ut ita dicitur ostensum est: Ergo verè annihilatur. Major probatur: Quod in nihilum cedit, annihilatur, cum terminus annihilationis est nihil: Sed illud quod nulla pars remanet, cedit in nihilum, nam revera nihil ejus amplius est: Ergo annihilatur.

Secundum est: Si modo reproducetur ex novo substantia panis eadem numero quae per consecrationem desinit, esset vera creatio: Ergo desinitio illius, fuit vera annihilatio. Probatur Consequentia, quia istae mutationes sunt contrariae, cum habeant terminos ad quos & à quibus contrarios.

Tertium est: Annihilatio fit per suspensionem illius actionis quae conservatur à Deo: quae annihilatur: Sed substantia panis in hoc sacramento desinit esse per suspensionem actionis conservativae, quae Deus illam conservabat: Ergo desinit esse per annihilationem.

Ad primum respondeo, distinguendo Majoris rem: Si res quae ita desinit, ex modo desinitio tendat ad aliquid positivum quod sibi succedet, & in quod convertatur, nego. Si non tendat, concedo. Sic enim forma substantialis non dicitur annihilari, quamvis nihil ejus remaneat post ipsius corruptionem, quia ex vitalis scholae nis quae corrumpitur, producit alia forma, in ejus locum succedens, & eandem materiam informans: substantia autem panis ita se habet proportionaliter, quia sic desinit esse, ut tamen ex modo desinendi tendat ad aliquid in quod convertitur. Unde ad probationem Majoris dicendum est, substantiam panis esse factam nihil secundum quid, quia effectum est nullum ejus remaneat, non esse tamen factam nihil simpliciter, quia transivit in corpus Christi: ut item aliquid dicatur annihilari, debet transire in nihil simpliciter. Solutio est D. Thomae in solut.

E

dist. 1. quæst. 1. art. 2. ad 3. ubi ait, *Quod quamvis panis non sit aliquid, tamen illud in quod conversus est panis, est aliquid, conversione facta.* & ideo non sequitur quod panis sit annihilatus. Et ad 4. dicitur: *Quod quamvis non maneat panis, neque in se, neque in alio, manet tamen corpus Christi in quod conversus est panis, & ideo non sequitur quod sit annihilatus.*

In istis: Definitio substantiæ panis in Eucharistia non terminatur ad corpus Christi: Ergo nulla data solutio. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. Talis definitio constituit unam mutationem, positio verò corporis Christi sub speciebus, aliam: Ergo cum ista terminetur ad corpus Christi, non potest illa ad ipsum terminari. Consequentia est evidens, Antecedens verò probatur. Definitio unius substantiæ, & positio alterius, constituunt duplicem mutationem, habent enim terminos à quo & ad quem realiter & formaliter distinctos; nam definitio habet pro termino à quo esse substantiæ quæ dicitur definere, & pro termino ad quem non esse illius; positio verò habet pro termino à quo non esse substantiæ quæ dicitur de novo poni, & pro termino ad quem esse talis substantiæ. Sed in Eucharistia definitio panis est definitio unius substantiæ, positio verò corporis Christi est positio alterius substantiæ: Ergo in ea duplex mutatio intervenit.

Respondeo negando Antecedens primi & secundi Enthimematis, & ad ejus probationem, distinguo Majorem: Definitio unius substantiæ, & positio alterius, quæ non sunt per conversionem substantiæ quæ dicitur definere in substantiam quæ dicitur poni, constituunt duplicem mutationem, concedo Majorem. Definitio unius substantiæ, & positio alterius, quæ sunt per conversionem substantiæ definientis, in substantiam quæ de novo ponitur, constituunt duplicem mutationem, nego Majorem. Tunc enim constituunt unicum simplicem transitum, sive unicam mutationem unius substantiæ in aliam, quia habent unicum terminum formalem à quo, scilicet non esse substantiæ quæ convertitur, & unicum terminum formalem ad quem, nempe esse alterius substantiæ in quam fit conversio; quamvis cum esse substantiæ convertendæ, concomitantur se habeat non esse substantiæ in quam fit conversio; & similiter cum substantia ad quam terminari debet conversio, concomitantur se habeat non esse substantiæ quæ definit.

Ad secundum respondeo, negando Antecedens: nam divina omnipotentia posset eundem numero panem restituere dupliciter, scilicet per modum creationis, & per modum reconversionis, convertendo scilicet corpus Christi in ipsum, sicut ipse primò fuit in corpus Christi conversus, & tunc esset mutatio opposita illi quæ modo fit in pane; secus verò si primo modo panis restitueretur.

Ad tertium, nego Minorem, substantia enim panis non definit esse per suspensionem solam actionis conservativæ, sed per conversionem ipsius in corpus Christi; ut enim articulo præcedenti dicebamus, ad rationem conversionis necessarium est, ut inter definitionem termini à quo, & positionem termini ad quem sit aliqua connectio, ac proinde ut ex vi positionis terminus ad quem, terminus à quo definat, & per consequens quod ex vi positionis corporis Christi definat esse panis.

Ex hoc intelliges, falsam esse sententiam Sua-

ris, existimantis, substantiam panis definere per actionem quæ accidentia separantur à subiecto, quia hæc spoliata accidentibus, postulat connaturaliter non manere. Patet, inquam, ex dictis hujus sententiæ falsitas: Nam prius intelligitur substantia panis definere esse, quàm accidentia ab illa separantur, vel per se subsistant: Ergo talis substantia non definit ex vi actionis separantis accidentia à subiecto. Consequentia patet, Antecedens probatur; tum quia idem accidentia à subiecto separantur, & subsistant, quia substantia destruitur: tum etiam, quia sicut substantia per se producit, accidentia verò ratione substantiæ, & consequenter ad illam; sic etiam per se debet definere, & accidentia consequenter, nisi ipsis modus per se existendi tribuatur, ut contingit in hoc mysterio.

DISPUTATIO V.

De modo quo Christus est in Eucharistia.

Ad questionem 76. Divi Thomæ.

Explicatæ actione transubstantiati-væ, per quam corpus Christi sub speciebus panis & vini fit præsens, consequens est, ut modum quo fit illis præsens consideremus, & varias quæ circa illum versantur difficultates, breviter resolvamus.

ARTICULUS I.

Quid ex vi verborum, quid concomitantur, sub speciebus panis & vini contineatur?

Id est de fide certum sit, omnia quæ ad Christi constitutionem & integritatem pertinent, nimirum corpus, sanguinem, animam, divinitatem, & subsistentiam, seu personam Verbi divini, verè & realiter sub utraque specie panis & vini contineri, ob intimam & inseparabilem quam illa inter se habent conjunctionem; quia tamen (ut docet D. Thomas hic art. 1.) dupliciter possunt aliqua in hoc sacramento contineri, uno modo ex vi sacramenti, seu ex verborum significatione; alio modo, vi naturalis connexionis & concomitantia quam habent cum iis quæ sunt vi verborum, id est breviter huc explicandum est, quænam ex illis vi verborum, & quænam solum per concomitantiam sub speciebus panis & vini contineantur.

Dico ergo primò, corpus Christi contineri ex vi verborum sub specie panis, non verò animam, ut tribuit gradum vitæ, benè tamen, ut dat esse corporeum.

Prima pars est de fide, definita in Tridentino sess. 13. cap. 3. & patet ex eo quod hæc verba, *Hoc est corpus meum*, corpus Christi in quod conversa est substantia panis, expressè significant.

Secunda verò colligitur manifestè ex D. 3. Thoma quæst. præcedenti art. 6. ad 2. ubi sic ait: *Anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis.* Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali animæ: Ergo ex D. Thoma, nomine corporis, quod ex vi verborum est sub speciebus panis, intelligi debet materia in-

forma-